



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. I. Utrum aliqua substantia creata, vel creabilis, possit naturaliter
videre Deum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

DISPUTATIO I.

DE POSSIBILITATE VISIONIS BEATIFICÆ.

Uo fuerunt olim circa possibilitatem visionis Beatificæ errores præcipui, & inter se oppositi. Primus eam ex solis naturæ viribus possibilem esse dicebat; alter è contra, illam ex viribus etiam gratiæ, & Dei elevatione impossibilem affirmabat, ut infra latius expendemus. Unde ut hi errores in huius Tractatus limine confitentur, duo in hac prima disputatione demonstranda suscipimus: primum est, claram Dei visionem ex viribus naturæ esse impossibilem; secundum, illam ex auxilio gratiæ, & supernæ Dei elevatione possibilem esse, juxta illud Anselmi: *Deus inaccessibilis cum sit nostris viribus, acceditur ad eum suis muneribus.*

ARTICULUS I.

Verum aliqua substantia creata, vel creabilis possit naturaliter videre Deum?

§. I.

Prima pars quesiti resolvitur.

Notandum primò: Visionem, propriè loquendo, esse manifestam, & claram notitiã alicujus potentie cognoscitivæ, de aliquo objecto. Unde aliud est cognitio intellectus, aliud visio: cognitio enim est quæcunq; notitiã etiam imperfecta; visio autem est notitiã perfectissima clara, & intuitiva, quod patet ex ejus derivatione: nam visio, secundum primariam acceptionem, est actus potentie visivæ, quæ est in oculo corporeo, & quæ non attingit nisi rem præsentem: Unde cum intellectus se habeat in anima, sicut oculus in corpore, tunc tantum ejus actus cognoscitivus, propriè dicitur visio, cum clarè & intuitivè fertur in rem sibi realiter præsentem.

Notandum secundò: Duplex à Philosophis solere distingui objectum potentie cognoscitivæ, unum quod vocant connaturale, & proportionatum, ad quod potentia potest connaturaliter ferri, absque ulla confortatione, aut elevatione. Alterum quod appellant adæquatum, & terminativum, vel extensivum, ad quod illa, saltem ut confortata, & elevata, potest se extendere: v.g. lux Solis est improporcionata respectu oculi nocturnæ, non tamen est extra latitudinem potentie ejus visivæ, quia est ejusdem speciei cum nostra, & ita per roborationem, & confortationem potest pervenire ad hoc ut videat Solem, sicut nos. His præmissis.

Dico primò: nullum intellectum creatum, ex propriis viribus posse clarè, & intuitivè videre Deum.

Conclusio est certa de fide, contra Anomæos (inter quos præcipuus fuit Eunomius) qui dicebant intellectum creatum in hac vita posse naturaliter videre Deum: quem errorem postea secuti sunt Begardi, & Beguina, quos damnavit Clemens V. in Concilio Viennensi, ut refertur

Tom. I.

A in Clementina ad nostrum, de Hæreticis.

Illum rejicit Scriptura variis in locis: dicitur enim Isaiæ 64. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ preparasti expectantibus te.* Quæ verba Hieronymus, & alii Sancti Patres explicant de visione beata, & objecto ipsius, quod nullo oculo corporeo, aut spiritali, naturaliter videri possit. Quæ etiam de causa 1. ad Tim. 6. Deus dicitur *habitare lucem inaccessibilem*, & ad Roman. 6. vita æterna, quæ consistit in visione Dei, gratia appellatur, ut significetur, illam dari à Deo gratis, & ex pura liberalitate; eamque superare debitum, exigentiam, & vires totius naturæ creatæ.

Idem declaratur in illa mirabili visione Isaiæ Prophetæ cap. 6. ubi dicitur, *Vidi Dominum sedentem in folio excelso*; quali transcendente proportionem, & vires cujusvis intellectus creati, quantumcunque elevati. Et additur, *Seraphim stabant circa eum, sex ala unus, & sex ala alteri, & duabus velabant facies suas*, ut significarent improporcionem, quæ est inter intellectum angelicum & immensum splendorem divinæ lucis. Unde Dionysius cap. 1. de divin. nomin. tribuit elevationi supra naturam, quod Beata illa mens Deum videant, & ait, *Eas constanter & immobiliter ad illucentem sibi radium attolli, & congruo permissarum sibi illuminationum amore, velut in altum pennis sublevari.*

Eadem veritas ratione suadet. Ut enim dicitur S. Thomas 3. contra Gent. cap. 52. Quod est proprium alicui naturæ superiori, non potest competere naturæ inferiori, nisi per actionem superioris cui est proprium. Sicut aqua non potest esse calida, nisi per actionem ignis: Sed videre Deum ut est in se, est proprium divinæ naturæ; quia operari secundum propriam formam est proprium cujuslibet operantis: Ergo non potest alia creatura pervenire ad visionem Dei ut est in se, nisi ex actione Dei eam elevantis ad hanc sublimem operationem. Ubi, ut rectè notat Ferrariensis, S. Doctor non accipit, proprium, prout excludit omne extraneum à subjecto: pro eo scilicet quod convenit alicui soli, & nulli extraneo ab ipso, sicut risibilitas est propria hominis, quia sic ratio D. Thomæ assumeret quod haberet proprium; sed accipitur, proprium, pro eo quod est connaturale alicui, secundum quod ab aliis differt. Unde sensus hujus rationis est: quod quia videre Deum per ipsam divinam essentiam est naturale Deo, ut esse calidum est connaturale igni, nulli creaturæ intellectuali convenire potest, nisi per actionem Dei confortantis, & elevantis ejus intellectum: sicut calefacere non convenit aquæ, nisi ex actione ignis in illam.

Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio, aliâ quam ibidem habet S. Doctor. Si aliquis intellectus creatus naturaliter videret Deum, haberet connaturaliter essentiam divinam per modum formæ, & speciei intelligibilis sibi unitam: Sed hoc repugnat: Ergo &c. Majore est certa, quia, ut infra ostendemus, ad visionem Dei impossibile est, vel saltem inutilis, quæcumque alia species, distincta ab essentia divina. Minor vero

Diff. 2. art. 8.

P

pro-

probatur. Primò quia forma alicui naturæ con-
naturalis & propria, non potest alteri commu-
nicari naturaliter, sed supernaturaliter dumtaxat; v. g. quia subsistentia increata est con-
naturalis Deo, nec potest ulli creaturæ naturaliter,
sed tantum supernaturaliter communicari: At-
qui essentia divina ut habet rationem speciei in-
telligibilis est propria forma intellectus divini,
sicut subsistentia increata est proprius terminus
naturæ divinæ: Ergo non potest ulli creaturæ
naturaliter communicari.

Secundò probatur eadem Minor: Si natura
creata peteret naturaliter uniri essentia divinæ,
ut speciei intelligibili, haberet vim naturalem
ad illam unionem, subindeque quandam effica-
ciam in essentiam divinam: nam ille qui potest
unire extrema, deberet habere dominium, & ef-
ficaciam in illa: Consequens est absurdum: Ergo
& Antecedens.

6 *Ratione
quinta.* Secunda ratio principalis nostræ conclusionis
exponitur à D. Thoma ibidem, & art. 4. hujus
questionis. Cuilibet naturæ intellectuali prop-
rium est, ut intelligat secundum modum suæ
substantiæ: Sed essentia Dei nequit quidditative
cognosci, ad modum alicujus substantiæ creatæ:
Ergo à nulla substantia intellectuali creatæ, natu-
raliter videri potest. Minor constat: Quia ef-
sentia Dei cum sit actus purus & infinitus, ac per
se subsistens, quamcumque substantiam intelli-
gentialem creatam in infinitum excedit. Major
autem in qua est difficultas, probatur primò à
D. Th. ratione à priori. Cognitio fit secundum
quod cognitum est in cognoscente: Sed cog-
nitum est in cognoscente, secundum modum cog-
noscentis, quidquid enim recipitur, ad modum re-
cipientis recipitur: Ergo cujuslibet cognoscen-
tis cognitio est secundum modum suæ naturæ.

Secundò eadem Major inductione ab illo de-
claratur. Quatuor enim sunt genera cognosciti-
vorum, & totidem obsectorum cognoscibilem.
In primo ordine sunt facultates sensitivæ, quæ ad
objecta solum sensibilia se extendunt. In secun-
do est anima rationalis, quæ simul est intellectu-
va, & forma corporis; & ideo videtur intra lu-
mitem sui objecti adæquati, visus enim v. g. non
potest percipere sonos, nec auditus videre colores.
Respondet cum D. Thoma 3. cont. Genr. ca. 10
§ 4. ubi virtualiter eandem sibi objectionem pro-
ponit, & dicit, quod divina substantia non sic est ex-
tra facultatem intellectus creati, quasi aliquid omnino
extraneum ab ipso, sicut est sonus à visu, vel substantia
immaterialis à sensu (nam ipsa divina substantia est pri-
mò intelligibile, & totius intelligibilis cognitionis prin-
cipium) sed est extra facultatem intellectus creati, sicut
excedens virtutem ejus, sicut excellentia sensibilia
sunt extra facultatem sensuum. Quibus verbis de-
clarat, Deum ut est in se, contineri quidem intra
obsectum extensivum, & adæquate terminati-
vum intellectus creati, non tamen intra obsectum
connaturale & proportionatum; & ita posse
quidem ad Dei visionem supernaturaliter elevari,
non tamen illum videre connaturaliter: Ad
hoc enim ut aliqua potentia cognoscitiva possit
connaturaliter ferri in aliquod obsectum, non
solum requiritur quod illud contineatur intra
limites obsecti adæquate terminativi, sed etiam
quod sit intra obsectum connaturale, & propor-
tionatum. Si autem quaras, quodnam sit ob-
sectum adæquatum, seu terminativum, & ob-
sectum proportionatum, seu connaturale intelli-
ctus humani & angelici? Breviter respondeo: ob-
je-

D. p. 2.
art. 5.

7 Ex hac ergo inductione, in primis habetur,
quamlibet naturam intellectualem hoc habere
proprium, ut intelligat secundum modum suæ
substantiæ: ita quod potentia, & obsectum con-
naturaliter cognitum, debeant semper esse in
eodem gradu, & genere immaterialitatis; licet
(ut infra dicemus) illud genus latitudinem ali-
quam pari possit.

Secundò habetur, quod cum Deus non sit nec

esse possit in eodem gradu immaterialitatis, cum
aliquo intellectu creato, à nullo potest connatu-
raliter videri. Nam si improprio; quæ est inter
animam unitam corpori, & Angelum, qui est
substantia omnino spiritalis, & independens à
corpore, impedit quo minus anima possit natu-
raliter videre Angelum: à fortiori ille excessus,
& illa improprio, quæ inter essentiam divinam
& intellectum humanum, vel angelicum reperit-
tur, impedit quod homo vel Angelus possit na-
turaliter videre Deum.

Deniq; si adetur conclusio. Quidquid intel-
lectus humanus vel angelicus naturaliter de Deo
intelligit, per ejus effectus cognoscit: nos qui-
dem per sensibilia, substantiæ autem separatæ
per proprias essentias & quidditates: Sed effe-
ctus Dei, utpote finiti & limitati, & potentiam
Dei non adæquantes, ad quidditativam Dei co-
gnitionem non possunt nos perducere: substan-
tia etiam Angeli, quamvis sit speculum lucidissi-
mum, in quo perfectiori modo, quàm in rebus
sensibilibus, relucet divinitatis imago, est tamen
longè inferior perfectioni divinæ, ut finitum in-
finito: Ergo intellectus humanus vel angelicus,
naturæ viribus, ad quidditativam & intuitivam
Dei cognitionem pervenire nequit.

§. II

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: Vel Deus ut est in se, conti-
netur intra obsectum adæquatum intelli-
ctus creati, vel non? Si primum dicatur, sequitur
intellectum creatum posse naturaliter videre
Deum: Nam quilibet potentia cognoscitiva,
naturaliter ferri potest in id omne quod conti-
netur intra ejus obsectum adæquatum, v. g. o-
culus potest naturaliter videre omnes colores,
& auditus percipere omnes sonos. Si secundum
affirmetur, sequitur nullum intellectum crea-
tum, posse ad visionem beatificam elevari, quia
nulla potentia cognoscitiva elevari potest, ad
cognoscendum id quod non continetur intra lu-
mites sui obsecti adæquati: visus enim v. g. non
potest percipere sonos, nec auditus videre colores.

Respondet cum D. Thoma 3. cont. Genr. ca. 10
§ 4. ubi virtualiter eandem sibi objectionem pro-
ponit, & dicit, quod divina substantia non sic est ex-
tra facultatem intellectus creati, quasi aliquid omnino
extraneum ab ipso, sicut est sonus à visu, vel substantia
immaterialis à sensu (nam ipsa divina substantia est pri-
mò intelligibile, & totius intelligibilis cognitionis prin-
cipium) sed est extra facultatem intellectus creati, sicut
excedens virtutem ejus, sicut excellentia sensibilia
sunt extra facultatem sensuum. Quibus verbis de-
clarat, Deum ut est in se, contineri quidem intra
obsectum extensivum, & adæquate terminati-
vum intellectus creati, non tamen intra obsectum
connaturale & proportionatum; & ita posse
quidem ad Dei visionem supernaturaliter elevari,
non tamen illum videre connaturaliter: Ad
hoc enim ut aliqua potentia cognoscitiva possit
connaturaliter ferri in aliquod obsectum, non
solum requiritur quod illud contineatur intra
limites obsecti adæquate terminativi, sed etiam
quod sit intra obsectum connaturale, & propor-
tionatum. Si autem quaras, quodnam sit ob-
sectum adæquatum, seu terminativum, & ob-
sectum proportionatum, seu connaturale intelli-
ctus humani & angelici? Breviter respondeo: ob-
je-

obiectum adæquatum utriusque intellectus, esse ens ut sic, analogice commune ad creatum & increatum, ad naturale & supernaturale: obiectum verò proportionatum intellectus humani, esse ens concretum quidditati sensibili, sive ens cognoscibile per conversionem ad phantasmata, quod Cajetanus, *Ens Phantasmatum* appellat: obiectum verò proportionatum intellectus angelici, est propria substantia, ad cuius modum omnia cognoscit, ut supra insinuavimus, & declarari solet in Tractatu de Angelis.

11 Obijcies secundo: Quilibet creatura potest naturaliter consequi suam beatitudinem naturalem, ut lapis centrum, & ignis locum sursum: Sed naturalis hominis beatitudo non potest consistere, nisi in clara Dei visione: Ergo illam potest homo naturaliter consequi.

12 Respondeo concessa Majori, negando Minorem: naturalis enim hominis beatitudo in clara Dei visione non consistit: cum illa non solum non possit viribus naturæ acquiri, sed nec etiam appeti, imo nec cognosci ut possibilis, ut infra ostendemus; sed in altissima quadam, & eminentissima Dei contemplatione, & cognitione abstractiva, ex rebus creatis & sensibilibus habita, ut docet Theologi 1. 2. qu. 3. Unde hæc solum beatitudinem habuisset homo in statu puræ naturæ, si in eo fuisset conditus, ut ostendemus contra Janfenium in Tract. de statibus naturæ humanæ.

§. III.

Resolvitur secunda difficultas, & impossibilitas substantiæ supernaturalis demonstratur.

13 Notandum primò, sive potius supponendum ex Tractatu de gratia: supernaturalitatem consistere in participatione quadam diminuta, alicujus perfectionis propriæ Deo, quatenus est ens à se, & ipsum esse per essentiam. Quod ut magis declaratur,

Sciendum est, Deum quatenus est ens à se, & plenitudo essendi, habere duo genera perfectionum: quædam enim sunt Dei perfectiones, quæ non possunt communicari ad extra, secundum eam rationem formalem, quæ Deo insunt; quia oporteret quod communicaretur tota essendi plenitudo, quod est impossibile. Hujusmodi autem sunt, esse à se, esse actum purum, esse simpliciter infinitum, esse trinum in personis cum una essentia, esse omnino simplicem, &c. hæc enim & similia non possunt formaliter reperiri, nisi in eo qui habet totam essendi plenitudinem. Aliæ verò sunt perfectiones, quæ possunt ad extra communicari, secundum illam rationem, quæ sunt Deo propriæ, diminutè tamè & imperfectè. Hujusmodi sunt, respicere divinam essentiam tanquam finem, & obiectum connaturale, per cognitionem vel amorem: licet enim hoc non possit reperiri in creatura, in eodem gradu perfectionis quo reperitur in Deo, quia Deus respicit seipsum tanquam obiectum connaturale, modo infinito, & omnino se adæquando, & comprehendendo (quod nulli creaturæ ob limitationem competere potest) conferri tamen potest creaturæ, ut respiciat essentiam divinam, per actus cognitionis & amoris, tanquam finem proprium, & obiectum aliquo modo connaturale. Et hoc est propriè participare id quod est proprium Deo: nam participare aliquid, est partem illius capere, & partem relinquere: ex eo verò

Tom. I.

A quod creaturæ communicatur, respicere divinam essentiam, & bonitatem increatam, tanquam obiectum, & finem connaturalem, modo tamen finito & limitato, partem capit illius quod est Deo proprium, tendentiam scilicet connaturalem in divinam essentiam, & bonitatem increatam; & partem relinquit, modum scilicet infinitatis, illimitationis, & comprehensionis, quo Deus seipsum respicit, & suam essentiam, ac bonitatem infinitam, per cognitionem & amorè adæquat. Ex quo inferes, in supernaturalitate essentialiter includi ordinem transcendentalem ad Deum ut in se est, & ut transcendit totum ordinem creatum, & creabilem, ut in Tractatu de gratia ostendemus.

Notandum secundo, aliquid posse dici supernaturale dupliciter: uno modo respectivè, & secundum quid: alio modo absolute, & simpliciter. Primo modo dicitur supernaturale, id quod est supra naturam hujus, vel illius speciei, non tamen est supra totam naturam creatam, sicut cognoscere quidditative substantias creatas separatas, est supra naturam hominis, pro isto statu: unde non potest ei competere, nisi elevetur supra suam naturam, per aliquam formam supernaturalem ei communicatam. Secundo modo aliquid dicitur supernaturale, quia est supra totam naturam creatam & creabilem, ut suscitare mortuos, justificare peccatores, convertere panem & vinum in corpus & sanguinem Christi, & similia.

Notandum tertio: Prædicamentum substantiæ in hoc distingui ab accidentibus, quod cum illud sit perfectissimum, debet esse omnibus modis completum intra suam lineam, ac proinde habere intra illam suum proprium specificativum, nec posse ab aliquo extrinseco specificari: accidentia vero cum non sint entia simpliciter, sed entis entia, hoc est affectiones substantiæ, quæ dicitur simpliciter ens, non habent suum specificativum intra propriam lineam, sed possunt speciem emendicare ab aliquo extrinseco; & ita relationes specificantur à termino; potentia, & habitus ab actibus, & actus ab objectis. His præmissis,

Dico secundo: non posse dari aliquam substantiam supernaturalem completam, cui visio beatifica sit connaturalis, & à qua lumen gloriæ dimanet tanquam proprietas. Est contra Durandum, Molinam, Ripaldam, Ariagam, & alios recentiores, quorum sententiam Vazquez ineptam vocat, Nazarius temerariam, Bannez insignem ignorantiam. Est tamen D. Thomæ hic articulo 5. ad 3. Capreoli, Cajetani, Ferrariensis, Ægidii, Richardi & aliorum, quos citat & sequitur Gonzalez hic disp. 26.

Probatum primo conclusio ex fundamentis præcedenti statutis. Substantia quæ connaturaliter videret Deum, deberet esse ejusdem puritatis, & immaterialitatis cum illo, quia (ut ibidem ostendimus) potentia cognoscitiva debet esse ejusdem immaterialitatis cum suo obiecto, connaturali & proportionato: Sed implicat dari creaturam, quæ sit ejusdem puritatis & immaterialitatis cum Deo, ut constat: Ergo implicat dari creaturam, quæ connaturaliter illū videat.

Confirmatur: Quilibet natura intellectualis attingit suum obiectum connaturale & proportionatum, ad modum propriæ substantiæ, ut ibidem demonstravimus: Sed repugnat dari aliquam creaturam, quæ cognoscat Deum, ut in se est, ad modum propriæ substantiæ: Deus enim est suum esse, actus purus, & infinite immaterialis; quæ

libet autem substantia creata, vel creabilis; est finita, & potentialitati admixta: Ergo repugnat dari aliquam creaturam intellectualem, quæ connaturaliter Deum videat.

¹⁹ Probatur secundo conclusio ratione D. Thomæ hic art. 5. ad 3. ubi sic discurrit: *Dispositio ad formam ignis non potest esse naturalis nisi habenti formam ignis: unde lumen gloriæ non potest esse naturale creaturæ, nisi creaturæ esset nature divinæ, quod est impossibile.* Ex quibus verbis hæc potest formari ratio. Implicat quod ultima dispositio ad aliquam formam, sit connaturalis, nisi habenti talem formam: Sed lumen gloriæ est ultima dispositio ad essentiam divinam, ut est forma intelligibilis: Ergo implicat quod sit connaturale, nisi illi cui est naturale habere talem formam, scilicet Deo.

²⁰ Confirmatur & magis declaratur hæc ratio: Illi cui esset naturale lumen gloriæ, debita esset naturaliter unio essentia divinæ in ratione speciei intelligibilis; cum lumen gloriæ sit ultima dispositio ad illam, sicut calor ut octo est ultima dispositio ad formam ignis: Sed implicat quod huiusmodi unio sit debita naturaliter alicui substantiæ creatæ, quia forma increata, & infinita, non potest esse connaturaliter debita substantiæ creatæ & finitæ: Ergo implicat dari aliquam substantiam creatam, cui lumen gloriæ sit connaturale.

²¹ Probatur tertio conclusio aliâ ratione fundamentali. Operatio quæ simpliciter & absolute est supernaturalis, nulli creaturæ existenti, aut possibili, potest esse connaturalis, & proportionata: At visio beatifica est operatio simpliciter, & absolute supernaturalis: Ergo nulli creaturæ existenti vel possibili connaturalis esse potest. Major constat ex secundo notabili: illud enim dicitur supernaturale simpliciter, & absolute, quod transcendit vires, & existentiam totius naturæ creatæ, & creabilis. Minor verò patet ex primo: Nam supernaturalitas simpliciter & absolute sumpta, consistit in participatione alicujus perfectionis Deo propriæ, in quantum est ens à se, & ipsum esse per essentiam, ut ibidem exposuimus: Atqui respicere divinam essentiam, tanquam objectum connaturale, per cognitionem vel amorem est proprium Deo, eique conveniens, quatenus est ens à se, ipsumque esse per essentiam: Ergo visio beatifica est operatio simpliciter & absolute supernaturalis.

²² Confirmatur: Si esset possibilis aliqua substantia intellectualis, cui visio beatifica esset connaturalis, & à qua lumen gloriæ dimanaret tanquam proprietas, sequeretur visionem beatificam non esse simpliciter & absolute supernaturalem, sed respectivè tantum, & secundum quid, eoque ferè modo, quo volare dicitur supernaturale respectu hominis: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Illud dicitur supernaturale simpliciter, quod transcendit totam naturam creatam, & creabilem: Atqui si esset possibilis aliqua creatura, cui visio beatifica esset connaturalis, illa non excederet vires totius naturæ creabilis: Ergo non esset simpliciter, sed tantum secundum quid supernaturale, per respectum scilicet ad naturas jam productas, & existentes. Ex quo ulterius sequeretur, quod visio beatifica esset in statu præternaturali, & quasi monstruoso, quia cum posset habere subiectum inhaesionis connaturale, illò caret. Sicut si intellectus Angeli possibilis, poneretur in substantia Angeli creati, esset in statu

præternaturali, & quasi violento; quia non conjungeretur substantiæ illius Angeli, à qua connaturaliter deberet dimanare.

Denique suadetur conclusio: Ens supernaturale specificatur ex ordine transcendentali, quæ dicit ad Deum, ut in se est, & ut transcendit totum ordinem creaturæ, & creabilem, ut in primo notabili ostendimus: At nulla potest dari substantia completa, quæ specificetur ex ordine transcendentali ad Deum, ut in se est: Ergo nulla potest dari substantia completa supernaturalis. Minor constat ex tertio notabili: ut enim ibidem exposuimus, in hoc distinguitur substantia ab accidentibus, quæ illa cum sit ens perfectum, & completum, habet totum suum specificativum intra propriam lineam, nec potest speciem emendicare ab aliquo extrinseco: accidentia verò cum sint entis entia, & affectiones substantiæ, specificari possunt ab aliquo extrinseco, quod tanquam objectum, vel terminum, aut alio consimili modo respiciant.

Dixi autem, *substantia completa*, quia non est contra rationem substantiæ incompletæ essentialiter ordinari ad aliquid extrinsecum, materia enim respicit essentialiter formam, & forma materiam, & substantia, ac existentia naturam quam terminant. Unde hæc ratio solum demonstrat impossibilitatem substantiæ supernaturalis completæ. An verò sit possibilis, vel de facto detur, inter Verbum Divinum, & humanitatem assumptam, modus substantialis unionis entitativæ supernaturalis, in Tractatu de Incarnatione discutietur.

§. IV.

Aliis rationibus eadem veritas suadetur.

²⁴ Primum argumentum sumitur ex illis verbis Apostoli 1. ad Tim. 6. *Qui lucem habitat inaccessibleem*: quæ verba absolute prolata, satis indicant, quod Deus, ob summam suam elevationem est invisibilis, & inaccessibleis alicujus creaturæ, & quod nulli extraneo à Deo, per se, & ex propriis viribus, parere potest, & esse manifesta lux increata divinitatis, hoc est essentia Dei; alioquin si aliqua substantia creabilis posset ex se & ex propriis viribus ad illam pervenire, non esset omnino inaccessibleis: sicut si possibilis esset aliqua creatura, quæ Deum comprehenderet, ille non posset dici omnino incomprehensibilis.

Neq; valet si dicas, hac ratione probari, quod Deus esset invisibilis, & inaccessibleis, etiam intellectui beato, lumine gloriæ perfuso, quia totum illud compositum creatura est. Non valet inquam: quæ ut Deus absolute dicatur invisibilis, & inaccessibleis, sufficit quod nulla creatura possit per vires suas naturales ad illum accedere; quamvis Deus possit accessum ad se illi dare, seque illi visibilem facere per auxilium suæ omnipotentia: sicut civitas non desineret dici absolute inaccessibleis, si non nisi ipsa volente, & juvante, nullus posset ad illam accedere.

²⁵ Secundum argumentum potest sic proponi: Per visionem beatificam homines, & Angeli constituuntur Filii Dei: per illam enim maxime Deo uniantur, & gratia sanctificans, quæ est divinæ nature participatio, per eam ultimo perficitur, & consummatur. Unde Apostolus ad Roman. 8. *Nos ipsi primitivis spiritibus habentes intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes: nepe filia-*

filiationem gloriae, quae excedit statum adoptionis & filiationis viae. Sed nulla potest dari creatura, quae naturaliter sit filia Dei: Ergo nulla est possibilis, cui visio beatifica sit connaturalis. Minor probatur: Filiatio Dei, vel est naturalis, vel adoptiva? Sed neutra potest naturaliter ulli pars creaturae competere. Ergo nulla potest dari creatura, quae naturaliter sit Dei filia. Minor quantum ad primam partem patet, quia filius naturalis debet esse ejusdem naturae cum patre, aut naturae non extraneae: At omnis creatura est naturae extraneae à Deo: Ergo nulla creatura potest esse filia Dei, filiatione naturali. Probatur verò quantum ad secundam. Ex institutione, titulo de adoptione, requiritur quod adoptivus ex indulgentia tantum, & beneficio extraordinario habeat jus ad hereditatem; & ex Concilio Francofordiensi, in sacrosyllabo, adoptivus haec duo debet habere: primum ut sit alienus ei à quo adoptatur: secundum, ut adoptio ei per gratiam, & ex indulgentia tribuatur: At creatura de qua disputamus, esset naturaliter videns Deum: Ergo non ex gratuita adoptione.

26 Tertium argumentum: Beati videntes Deum, cum sint ejus filii, sunt etiam ejus haeredes: juxta illud Pauli ad Rom. 8. *Si filii, & haeredes*. Item cum ei intimè conjungantur per charitatem, sunt ejus sponsae, Apocal. 21. *Sedent in ejus Throno*, Apoc. 3. & recumbunt in eadem mensa, Lucae 22. Atqui repugnat quòd ulla creatura sit naturaliter haeres Dei, ejus sponsa, sedens in ejus Throno, ac recumbens in ejus mensa: quia omnis creatura, etiam possibilis, est naturaliter, & ex sua origine Dei serva; cum talis servitus in creatione fundetur: servus autem non est naturaliter haeres domini sui, & serva non potest naturali ordine esse sponsa; nec famulus, nisi gratuito vocatus, potest sedere & recumbere cum domino suo in eadem mensa: Ergo nulli creaturae visio beata potest esse connaturalis.

Hoc argumentum insinuat Cyrillus libro 1. in Joan. cap. 10. ubi sic ait: *Creata quippe & serva natura ad res supernaturales vocatur solo nutu ac voluntate Patris: Filius autem & Deus & Dominus, non Dei ac Patris nutu, nec eius voluntate id habet quòd Deus sit, sed cum ex ipsa substantia Patris esset, proprium eius bonum secundum naturam sibi asserit*. Et ibidem cap. 8. arguens contra quosdam haereticos, affirmantes Christum esse creaturam, ait: *Si fatentur supernaturalia bona ei substantialiter inesse, ne coniungant ei naturaliter creaturam*. Id est non putent eum esse creaturam, si credunt bona supernaturalia ipsi inesse naturaliter.

27 Quartum argumentum: Substantia supernaturalis, quae connaturaliter videt Deum, contineret propriam & naturali virtute gratiam justificantem: Sed repugnat dari creaturam, quae propria & naturali virtute gratiam justificantem contineat: Ergo repugnat dari substantiam supernaturalem. Major videtur certa: quia tali creaturae deberetur tanquam proprietates naturalis gratia sanctificans aequae ac lumen gloriae, & visio beatifica: Ergo virtute propria & principali gratiam justificantem contineret. Minor verò probatur: Gratia sanctificans est participatio naturae divinae: Sed participatio naturae divinae continetur in solo Deo, ut causa principali, cum nulla natura inferior possit principaliter continere participationem superioris: Ergo nul-

la creatura potest propria & naturali virtute continere gratiam sanctificantem.

Addo quod si daretur aliqua creatura, quae virtute propria & principali gratiam sanctificantem contineret, illa posset alias principaliter iustificare, ac proinde deificare: sicut ignis & sol possunt alia à se calefacere, & illuminare, quia connaturaliter, & virtute propria, & principali continent lucem & calorem: Consequens est falsum, & repugnans doctrinae Sanctorum Patrum: Ergo & Antecedens. Minor probatur ex Cyrillo, libro *Quòd Spiritus sit Deus*, ubi sic discurret: *Si Spiritus deificet, quomodo erit creatura, & non magis Deus, utpote deificus? Quae illatio nulla esset, si Spiritus Sanctus posset iustificare, & deificare, & tamen esse creatura: Unde Augustinus libro 1. de peccat. merit. cap. 14. Quisquis ausus fuerit dicere, iustifico te: consequens est ut dicat etiam, crede in me. Quare concludit, quod sicut non est credendum nisi in solum Deum, ita illum solum principaliter iustificare posse.*

28 Quintum argumentum. Si daretur aliqua creatura, quae connaturaliter videret Deum, illa esset ex natura sua impeccabilis: Sed repugnat dari creaturam impeccabilem ex natura sua: Ergo & quae naturaliter videret Deum. Major constat: tum quia impeccabilitas est necessario connata cum Dei visione: tum etiam quia illa creatura, quae naturaliter videret Deum, esset substantialiter ejusdem ordinis, & ejusdem, aut majoris perfectionis, quam sint habitus supernaturales infusi: unde sicut repugnat fidei infusa subesse falsum, & gratiae, & charitati, cum peccato conjungi: ita & illi creaturae repugnaret esse cum peccato. Minor autem in qua est difficultas, probatur ex Sanctis Patribus, qui passim affirmant, solum Deum esse ex natura impeccabilem: cetera verò eo ipso quòd ex nihilo sunt, vel quòd non sunt summè bona, peccare posse: Sic Augustinus libro 12. de Civit. cap. 1. ubi docet, eo ipso quòd liberum arbitrium produci- tur ex nihilo, esse ex natura sua defectibile, & peccabile. Idem asserit Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. ubi sic discurret: *Deus quia summè bonus est, dedit omnibus naturis quas fecit ut bonae sint: non tamen tantum bonae, quantum creator omnium bonorum, qui non solum summè bonus, sed etiam summum atque incommutabile bonum est, quia etiam bonum est; nullum habens defectum, quia non ex nihilo factum, nullum habens profectum, quia nullum habens initium. Ideo quippe natura à Deo facta proficere possunt, quia esse experant: ideo desicere, quia ex nihilo facta sunt. Ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum verò provehit operatio creatoris. Item Gregorius Magnus libro 5. Moralium cap. 25. haec scribit: *Omnis quippe creatura, quia ex nihilo facta est, & per semetipsum ad nihilum tendit, non stare habet, sed desicere: scilicet per peccatum*. Denique Anselmus Boso quarenti, cur Deus non condidit homines & Angelos impeccabiles? Respondet: *Quia non potuit, neque debuit fieri, ut unusquisque eorum esset idem ipse qui Deus*.*

29 Sextum argumentum. Videntes Deum, vident quamplurima consilia Dei libera, ut constabit ex infra dicendis: Sed Scriptura docet, repugnare quòd creatura naturaliter particeps consiliorum Dei, quam gratuita ejus revelatione, & manifestatione: ut enim dicit Apostolus 1. ad Corinth. 2. *Quae sunt Dei* (id est ejus consilia

& secreta) nemo novit, nisi Spiritus Dei qui in ipso est. Et in eodem capite, versu 16. citat illud Isaia 40. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius eius fuit?* Id est, quae creatura à seipsa cognoscit consilia Dei, nisi Deus per Spiritum Sanctum ea reveler?

- 30 Confirmatur: Si possibilis esset intellectus naturaliter aequivalens in perfectione intelligendi, intellectui beato, lumine gloriae perfuso; à fortiori posset dari intellectus creatus, qui naturali sua vi aequivaleret intellectui Prophetæ, lumine prophetiæ illustrato: Sed hoc repugnat: Ergo & illud. Major constat, Minor probatur. Si posset dari intellectus creatus, qui naturali sua vi aequivaleret intellectui Prophetæ, lumine prophetiæ illustrato, posset dari creatura, quæ naturaliter, & seclusa Dei revelatione, futura contingentiæ, & libera præsciret: Sed hoc repugnat Scripturæ, & Sanctis Patribus, qui docent præscientiam futurorum esse certissimum, ac præcipuum divinitatis argumentum, juxta illud Isaia 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dñi estis vos;* & illud Tertulliani in Apologet. cap. 20. *Idoneum opinor testimonium divinitatis, veritas divinationis.*

§. V.

Dilauntur argumenta Adversariorum.

- 31 Objicies primò cum Scoto. Ideò D. Thomas, & ejus Discipuli, negant aliquem intellectum creatum, aut creabilem, posse connaturaliter videre Deum, quia modus essendi Dei excedit modum essendi cujuslibet substantiæ, & intellectus creati, aut creabilis, cum Deo sit suum esse, actus purus, & infinite immaterialis; & quilibet substantia creata, aut creabilis sit potentialitati admixta: Sed hæc ratio non concludit: Ergo ruit præcipuum fundamentum D. Thomæ. Major constat ex supra dictis, Minor probatur tripliciter. Primò quia intellectus creatus lumine gloriae perfusus, connaturaliter videt Deum; cum lumen gloriae sit participatio divinæ intellectualitatis, quæ habet essentiam divinam pro objecto connaturali: Sed intellectus creatus lumine gloriae perfusus, non est actus purus, nec suum esse, nec ejusdem immaterialitatis cum Deo: Ergo & c.

Secundò, Oculus corporeus videt cælos incorruptibiles, cum tamen ipse sit corruptibilis: Ergo potentia, & objectum connaturaliter cognitum non debent convenire in eodem gradu perfectionis, & immaterialitatis.

Tertiò, Angelus inferior quidditative cognoscit superiorem, licet non sit ejusdem perfectionis, & immaterialitatis cum illo: Ergo pariter intellectus creatus poterit quidditative Deum cognoscere, quamvis ipsum in perfectione & immaterialitate adæquare nequeat.

- 32 Respondeo concessa Majori, negando Minorem, ad cujus primam probationem nego paritatem: quia valde diversa est ratio de intellectu creato, aut creabili, & de lumine gloriae: cum enim quilibet intellectus creatus, aut creabilis, procedat ut proprietas alicujus substantiæ spiritalis, petit illam habere pro objecto connaturali & proportionato, & esse ejusdem immaterialitatis cum illa. At verò lumen gloriae, non inest intellectui beato, per modum proprietatis ab illo connaturaliter dimanantis, sed per mo-

dum qualitatis, & virtutis instrumentariæ ipsum elevantis; & ideò non debet proportionari, & accommodari subiecto quod elevat, sed potius objecto ad quod elevat.

Addo quod, longè major proportio requiritur, ut connaturaliter Deus à creatura videatur, quàm ut ad id elevetur per lumen supernaturale; illud enim non debet esse vis omnino connaturaliter attingens objectum, sed debet se habere per modum virtutis instrumentariæ, & elevantis, seu participationis intellectus superioris.

Ad secundam probationem ejusdem Minoris respondeo, quòd licet oculus corporeus videat cælum, quod est incorruptibile, non tamen videt illud formaliter, & reduplicative, quatenus est incorruptibile, sed solum quatenus est lucidum & coloratum, sub qua tantum ratione pertinet ad objectum formale, & specificativum potentia visiva. Quare illa instantia Scoti non est ad propositum, nec infringit efficaciam rationis D. Thomæ, qui solum intendit, objectum ut formaliter cognitum, modo essendi cognoscendis debere proportionari.

Ad tertiam instantiam dicendum est, Angelum superiorem & inferiorem, habere eundem modum essendi, & eundem gradum immaterialitatis: nam omnes Angeli carent materiâ, & compositione physica, & habent compositionem ex essentia & existentia: Neque verò omnimoda æqualitas inter cognoscens & cognitum, ad cognitionem quidditativam requiritur, sed sufficit identitas gradus, & ordinis. At nullus intellectus creatus, vel creabilis, pervenire potest ad eundem gradum immaterialitatis cum Deo, qui est suum esse, & actus purus.

Objicies secundo: Deus potest creare intellectum, qui si sua naturali adæquet virtutem intellectus beati, lumine gloriae perfusi: Ergo & qui naturaliter Deum videat. Consequentia patet; alias enim non adæquaret virtutem intellectus beati: Antecedens verò probatur. Virtus intellectus beati, lumine gloriae perfusi, est finitæ perfectionis, & activitatis: Ergo cum dato quocunque intellectu finito, Deus possit perfectiorem producere, nulla videtur esse repugnantia, quòd Deus producat intellectum, virtute sua naturali adæquantem, vel superantem virtutem & activitatem intellectus beati, lumine gloriae instructi.

Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, concessa Antecedente, nego Consequentiam: licet enim intellectus beatus, lumine gloriae perfusus, sit aliquod compositum finitæ perfectionis, & activitatis; non sequitur tamen, Deum posse creare aliquem intellectum, qui vi sua naturali adæquet ejus perfectionem & activitatem: quia res ordinis inferioris, quantumcumq; intra illum ordinem perficiatur, nunquam potest pertingere ad perfectionem alterius ordinis superioris. Quantumcumque enim creatura materialis & corporea perficiatur, nunquam tamen poterit pertingere ad perfectionem Angelicam. Item quantumcumque augeatur amor Dei naturalis, nunquam pervenire poterit ad perfectionem charitatis, & amoris supernaturalis. Denique quantumcumque perficiatur certitudo scientiæ naturalis, nunquam pertinet ad certitudinem fidei, vel prophetiæ, aut alterius luminis supernaturalis. Unde rectè dixit Cajetanus, quòd unum individuum superioris ordinis æquivalet, imò & superat infinita individua ordinis inferioris.

inferioris. Et si hoc argumentum aliquod concluderet, probaret etiam posse dari intellectum, qui naturali sua virtute consilia Dei, ejusque decreta libera cognosceret: quia similiter intellectus Prophetæ, lumine prophetico illustratus, est compositum finitæ perfectionis & activitatis: quod Scripturæ, & SS. Patridus repugnare ostendimus in fine §. præcedentis.

35 Obijcies tertiò cum Molinæ: Non repugnat creari à Deo substantiam supernaturalem: Sed illa connaturaliter videret Deum, quia ab illa dimanaret lumen gloriæ tanquam proprietas: Ergo non implicat dari aliquam substantiam intellectualem quæ connaturaliter videat Deum. Minor patet, Major autè in qua est difficultas, multipliciter suadetur. Primò quia potest dari, & secundum probabilem sententiam datur modus substantialis unionis inter Verbum & humanitatem assumptam, quò illa extrema substantialiter conjunguntur: Ergo etiam poterit produci à Deo substantia supernaturalis.

Secundò, Divina attributa participantur à creaturis, v. g. sapientia divina participantur à creatura, & divinus amor à charitate: Ergo similiter poterit participari à creatura ratio divinæ substantiæ; & ita, sicut datur sapientia supernaturalis creata, ita potest dari substantia creata supernaturalis.

Tertiò, Substantia creata supernaturalis non repugnat eà ratione quæ est substantia; nam substantia divina est supernaturalis: nec eà ratione quæ est creata: gratia enim, charitas, & lumen gloriæ, quæ sunt supernaturalia, entia creata sunt: nec ex parte utriusque simul sumpti, quia non potest esse repugnantia in conjunctione duorum, nisi se teneat ex parte alicujus extremi: Ergo ex nullo capite repugnat.

Denique, Omne accidens dicit ordinem ad aliquod subiectum sibi proprium, & connaturale: Sed accidentia ordinis supernaturalis non possunt habere aliud subiectum connaturale, quàm substantiam supernaturalem creatam: Ergo illa est possibilis. Minor probatur: Accidentia supernaturalia, ut charitas, lumen gloriæ, & similia, non respiciunt aliquam substantiam creatam ordinis naturalis, tanquam proprium & connaturale subiectum, ut constat, cum inter potentiam & actum, perfectivum & perfectibile, debeat esse proportio: neque substantiam increatam Dei, cum illa sit actus purus, & incapax recipiendi accidentia: Ergo illa non possunt habere aliud subiectum sibi connaturale, quàm substantiam creatam ordinis supernaturalis.

36 Respondeo negando Majorem, ad cuius primam probationem, dato Antecedente, negatur Consequentia, & paritas. Ratio disparitatis est, quia licet modus substantialis unionis habeat esse per se, id est non in alio inhælive: nihilominus quia hujusmodi esse per se non est completum, sed incompletum, & modale, ideo per habitudinem ad extrinsecum specificari potest. Substantia autem creata, cum intra suam lineam sit completa, non potest specificari per habitudinem ad aliquod extrinsecum, nec consequenter esse supernaturalis: quia (ut supra ostendimus) supernaturalitas formaliter consistit in habitudine ad Deum, ut est in se, & ut transcendit totum ordinem creaturæ, & creabilem.

37 Ad secundam probationem, concesso Antecedente, nego Consequentiam: licet enim non solim divina attributa, sed etiam Dei substan-

38 tia sit participabilis à creaturis, tam in ordine naturali, quàm supernaturali: in hoc tamen differunt, quòd in ordine naturali attributa participantur participatione accidentali, substantia verò; participatione substantiali: in ordine autem supernaturali tam attributa, quàm substantia participantur, participatione tantum accidentali: sapientia enim supernaturalis creata, participat rationem sapientiæ divinæ, quæ est substantia; licet non participet modum essendi substantialiter: similiter gratia sanctificans est participatio substantiæ Dei, sed accidentalis: id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem: inquit S. Doctor 1. 2. quæst. 110. art. 2. ad 2. Quòd verò possit natura divina participari substantialiter in ordine naturali, non autem supernaturali, provenit ex summa perfectione istius ordinis, habentis specificationem per ordinem ad Deum ut est in se: ordo verò naturalis non specificatur per ordinem ad Deum, etiam ut authorem nature, sed habitudo quam quælibet res naturalis dicit ad suum cogitorem, se habet solum ut quædam proprietas, vel modus quidam transcendentalis, in omni creatura imbibitus.

Ad tertiam probationem dicendum est, repugnantiam substantiæ supernaturalis, peti ex conjunctione utriusque simul; supernaturalitatis scilicet, cum ratione substantiæ; hæc enim unio est omnino impossibilis, eò quod supernaturalitas consistat in habitudine ad Deum, ut excedentem totum ordinem creaturæ & creabilem: substantiæ autem repugnet ab aliquo extrinsecò speciem emendicare, ut supra declaravimus. Ad probationem in contrarium, dicendum est, quòd licet partes divinum sumptæ non repugnent, conjunctum tamen ex illis repugnare potest, ut constat in chimæra: licet enim leo, draco, & capra seorsim sint possibilis, conjunctum tamen ex illis impossibile est, & chimericum.

Ad ultimam instantiam, nego Antecedens: Licet enim omne accidens dicat ordinem ad aliquod subiectum, non tamen essentialiter respicit aliquod subiectum sibi proprium & connaturale, ut constat in accidentibus, quæ educuntur ex potentia violenta subiecti, vel quæ introducuntur per artem. Unde in rebus creatis, triplicem potentiam receptivam distinguere solent Philosophi: unam naturalem, in qua recipiuntur accidentia connaturalia subiecto, alteram violentam, in qua subiectantur accidentia contraria, & repugnantia illius nature, sicut se habet calor respectu aquæ: aliam denique obedientialem, quæ quodlibet agens subditur Deo, ad recipiendas formas ordinis supernaturalis. Accidentia ergo supernaturalia respiciunt substantiam, seu potentiam naturalem, non ut naturalis est, sed ut obedientialis, & subdita Deo, seu ut capax recipiendi influxum agentis supernaturalis.

ARTICULUS II.

An intellectus creatus possit supernaturaliter elevari ad videndum Deum?

40 **E**gimus articulo præcedenti de invisibilitate Dei per vires nature, jam demonstranda est ejus visibilitas per auxilium gratiæ, ut confutemus alium errorem aliquorum, qui (teste D. Gregorio) asserbant, beatos non videre ipsam

Lib. 18.
Moral.
cap. 28.